

4. Hoc Decretum evincit, uniones non faciendas niſi ad utilitatem Eccleſiarum.
5. Ordinarii prout de cauſis unionis inquirere debent.
6. Unio facta ab Ordinario niſi ſe à danda portione congrua liberent, ſuſpecta.
7. Unio beneficii facta ab Epifcopo ſua mente irrita eſt.
8. Ordinarius prout expendere debet conditionem beneficiorum.
9. Beneficiis ſimplicibus ne annexetur Officium, vel ut unirentur in Synodo Tridentina propoſitum.
10. Unionem ſimilium beneficiorum probavit Synodus Tridentina.
11. Eadem Synodus oſtendit, aliorum beneficiorum unionem non facili eſſe admittendam.
12. Specialiter vetuit Eccleſiarum Parochialium incorporationes.
13. Unio duarum Eccleſiarum Parochialium ob earum paupertatem admittitur in Gallia.
14. Decretum Synodi Mechlinienſis de hac unione.
15. Hoc Decretum tantum eſt provisionale; eoque ſubinde abutuntur Ordinarii.
16. Beneficiorum ſi in unione attendendus; & eo facilius admittenda unio Eccleſiarum, quo ſibi vicinioreſ.
17. Facilius unio beneficiorum ejuſdem Eccleſiæ quàm diverſarum.
18. Beneficia diverſarum Diœceſum uniri vetat Synodus Tridentina.
19. Beneficia unius Regni non ſunt unienda Beneficiis alterius Regni.
20. Beneficia libera non unienda beneficiis juris patronatus.
21. Niſi ſalus animarum aliud poſtulet.
22. Synodus Tridentina vult uniones factas ex non legitimiſ cauſis revocari.
23. Auctoritate regia unio ſubinde declaratur nulla poſt lapſum ſaculi.

Unionem Beneficiorum eſſe odioſam, unanimiſ eſt Canonistarum ſententia, tum quod per eam minuatur numerus Miniſtrorum; tum quia beneficia inſtituta ſunt, ut ſingula ſuum habeant miniſtrum. Quin & unionem eſſe quamdam ſpeciem alienationis, notant Canoniftæ: eò quod beneficium unitum quodammodo per ipſam unionem ſupprimatur, aut ut minus ita alteretur, ut primævam ſuam naturam & conditionem amittat.

II. Hinc ulterius concludunt, quod unio quoniam odioſa eſt & à communi Eccleſiarum utilitate aliena, numquam niſi ex magna & neceſſaria cauſa permitti debeat. Ita Antonius Faber in Codice lib. 1. tit. 2. Deſinit. 48. Et Rebuffius in Praxi parte 1. tit. De Unionibus num. 38. aſſerere non dubitat, unionem duabus dumtaxat ex cauſis fieri poſſe, videlicet ſi evidens ſit neceſſitas vel utilitas; idque conformiter ad reſponſum Honorii III. in Cap. 33. De Præbendis ubi reſpondit Epifcopo Veſprimenſi, quod Præbendis Eccleſiæ ſuæ Cathedralis unire poſſit Capellas, ſi evidens neceſſitas vel utilitas exigat.

III. Synodus Tridentina attendens, paſſim factas fuiſſe uniones Eccleſiarum & beneficiorum non tam ob utilitatem aut neceſſitatem ipſarum Eccleſiarum, quam in perſonarum favorem & commodum; atque ex indiſcretis unionibus multas Eccleſias ſuis neceſſariis Miniſtris deſtitutas, ſtatuit ſeſſ. 7. cap. 6. De Reformat. "Uniones perpetuæ, à quadraginta annis citra factæ, examinati ab Ordinariis, tamquam à Sede Apoſtolica delegatis, poſſint: & quæ per ſurreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarantur. Illæ verò, quæ à dicto tempore citra conceſſæ nondum in toto, vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deinceps ad curſuſ iuſtævam ſerventur, niſi eas ex legitimiſ, aut aliis ra-

tionabilibus cauſis, coram loci Ordinario vocatis, quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtituerit, per ſurreptionem obtentæ præſumantur: ac propterea niſi aliter à Sede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

IV. Ex hoc Decreto habetur primò, nullas uniones perpetuas eſſe admittendas, niſi ex cauſis legitimiſ, aut aliis rationabilibus: Legitimæ autem cenſentur, quæ à Canonibus probantur; quæ ſcilicet utilitatem aut neceſſitatem Eccleſiarum, non autem favorem privatorum, aut proprium ipſorum Prælatorum commodum reſpiciunt.

V. Secundò ex ipſo Decreto patet, ipſos Ordinarios priuſquam ad unionem procedant, inquirere, & expendere debere, num legitime aut aliis rationabilibus cauſis unionis faciendæ ſubſint: adeoque ipſos quodammodo iudices conſtitui, qui iudicent de ſufficientia cauſæ.

Hic autem ita ſe gerere debet Ordinarius, ne appareat, ipſum plus favoriſſe perſonæ, quàm Eccleſiæ, ut in ſimili loquitur Pontifex in Cap. 1. De Sede vacante.

VI. Hanc ſuſpicionem faciliſ incurrit Epifcopi aliique Prælati, qui faciliſ uniones beneficiorum admittunt, ut à danda portione, ſed congrua portione ſe eximant: non tam expendentes, quid Eccleſiarum utilitas, aut populi ſalutis, & cultus Divinus exigant, quàm quid proprium intereſt requirant. Monetque rebuffius Conſilio 193. quod non "inveniat à jure cauſa ea approbata, ut unio fieri poſſit ad extinguendam penſionem, vel lites ſedandas: cum enim ſunt frequentes controverſiæ inter Epifcopum & Capitulum, frequenter Epifcopi unirent, ut ſe penſionem, ne, vel lites liberarent, quod eſſet injurioſum & damnofum Eccleſiæ.

VII. Hinc & in Clementina 2. De Rebus Eccleſiæ non alienandis declaratur; "quod ſi Epifcopus (ſui etiam Capituli accedente conſenſu) mente ſuæ vel ipſi Capitulo, aliquam duxerit Eccleſiam uniendam: hoc irritum eſt, decernimus & inane, contraria quavis conſuetudine non obſtante.

Id indubiè hac ratione decretum eſt quod, huiuſmodi unio potius ex proprio intereſte, quàm Eccleſiæ utilitate fieri præſumatur.

VIII. Poterò, ut Ordinarius hic rectè procedat, neceſſe eſt, ut beneficiorum, de quorum unione ſive conjunctione agitur, conditionem & qualitatem expendat.

Nec enim dubitari poſſet, quin minor ratio ſufficiat, ut uniendi beneficia ſimplicia, quæ nullum ſpeciale onus, niſi celebrationis Miſſarum annexum habent; & frequenter non niſi otioſis ſacerdotibus intertinendis ſerviant, quàm uniendi beneficia Curata, aliæque quorum poſſeſſor ad obſervandam Eccleſiæ muſta ſpecialiter adſtringitur.

IX. Unde & legitur nomine Caroli IX. Regis Galliæ à Patribus Synodi Tridentinæ fuiſſe propoſitum, ut beneficiis, quorum poſſeſſores nullo tenentur concionandi, Sacramenta adminiſtrandi, aut alio onere Eccleſiaſtico, Epifcopus cum conſilio Capituli curam aliquam ſpiritualium imponat, aut ſi utilis videatur, ea beneficia vicinioribus Parochialibus Eccleſiis uniat. "Habetur in libello cui titulus: Mémoires pour le Concile De Trente pag. 372.

X. Videmusque, in Synodo Tridentina, cum de augendis provenibus Eccleſiarum Parochialium, aut etiam aliorum majorum beneficiorum, aut etiam fundandis Seminariis ageretur, paſſim beneficiorum ſimplicium mentionem fieri, quorum unione beneficiis huiuſmodi tenuibus ſuccurratur; ut videre eſt ſeſſ. 24. cap. 13. De Reformat. item cap. 15. ejuſdem ſeſſionis, ubi agens de Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis Inſignibus, ubi frequentes & adeo tenues ſunt. Præbendæ ſimul cum distributionibus quotidianis, ut ſuſtinendo decenti Canonicoſum gradui, pro loci & perſonarum qualitate non ſufficiant, permittit Epifcopis cum conſenſu Capituli aliquot ſimplicia beneficia unire.

Rur-

Rurſus ſeſſ. 23. cap. 18. De Reformat. de erectione ſeminariarum vult, ut pro congrua eorum dotatione, Epifcopi beneficia aliquot ſimplicia, ſeminario ſeu collegio applicabunt & incorporabunt: de qua unione ſeu incorporatione actum eſt titulo 11. cap. 3.

XI. Hinc ſat intelligitur, unionem huiuſmodi beneficiorum haud difficulter admittiſſe Synodum Tridentinam; quæ tamen aliorum beneficiorum haud facile admittendam ſat inſinuavit; ſignanter citato cap. 13. Cum enim comperiret pleraſque Eccleſias Cathedralis tam tenuis redditus eſſe & anguſtas, ut Epifcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neque Eccleſiarum neceſſitati ſufficiant, voluit per Concilium Provinciale diligenter expendi, quas propter anguſtias, tenuitatemque vicinis unire, vel novis provenibus augere expediat; confeſtaque de præmiſſis inſtrumenta ad ſummum Pontificem miti: quibus inſtrumentis Summus Pontifex, ex prudentia ſua, prout expedire iudicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua acceſſione ex fructibus augeat.

Poſt hæc ſubjungit, quid interim cauſa pendente faciendum, ut his tenuibus Eccleſiis Cathedralibus ſuccurratur. "Interim verò donec prædicta effectum ſortiantur, huiuſmodi Epifcopis, qui fructuum ſubventione pro dicentibus ſuæ tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non ſunt, nec dignitates, ſeu canonicatus, & præbendæ, nec monaſteria, in quibus viget Regularis obſervantia, vel quæ Capitulis generalibus & certis viſitatoribus ſubduntur à Summo Romano Pontifice provideri.

Hic ſufficienter oſtendit Synodus, admodum difficulter, & non niſi gravi de cauſa, uniones huiuſmodi beneficiorum faciendas, ut tenuitati aliorum beneficiorum ſuccurratur; cum nequidem velit per Romanum Pontificem vel ad tempus dumtaxat, aliquid ex fructibus illorum beneficiorum detrahi, quo Epifcopis, qui fructuum ſubventionem pro Diœceſi ſua tenuitate indigent provideatur.

XII. Ulterius, quia præ cæteris convenit, ut ſingulis Parochialibus Eccleſiis ſuis verus ac perpetuus Paſtor ſeu Parochus præſit; compertumque eſt, per uniones & incorporationes beneficiorum Parochialium Monaſteriis, Capitulis, aliisque Corporibus vel beneficiis eveniſſe, ut multæ Eccleſiæ Parochiales deſtituerentur ſuis propriis Paſtoribus; idque cum notabili animarum detrimento; de crevit ſpecialim Synodus eodem capite 13. ne poſthac huiuſmodi uniones fierent; & factæ ab Ordinariis revideantur, verba ſunt: "In unionibus verò quibuslibet ſeu ex ſu prædictis, ſeu aliis cauſis faciendis, Eccleſiæ Parochiales monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatibus ſeu dignitatibus, ſive præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel collegiata, ſive aliis beneficiis ſimplicibus, aut hospitalibus, militiſve non uniantur; & quæ unitæ ſunt, revideantur ab Ordinariis juxta aliàs decretum in eadem Synodo ſub ſeſſ. rec. Paulo III. quod etiam in unitis ab eo tempore citra æquè obſervetur: non obſtantibus in iis quibuſcumque verborum formis, quæ hic pro ſufficienter expreſſis habeantur.

XIII. Hoc Decreto vetari beneficii Parochialis unionem, rectè advertit Renatus Choppinus De Sacra Polit. lib. 2. numer. 14. "excepto tamen (ait) ſi Canonicatus huiuſmodi adjungatur alteri Parochialis Eccleſiæ regi mini, cujus Paſtor alioquin Rectorque Eccleſiæ ſuis redditibus commode ali nequiret: art. 22. & 23. Edicti Bleſenſis anno 1579.

XIV. Simile quid decernit Synodus P. II. Mechlinienſis tit. 17. cap. 3. ubi poſtquam mandavit Epifcopus, ut Rectoribus Eccleſiarum Parochialium provideatur de competentia, ſubjungit: "Ut verò hæc omnia perſici poſſent licet Epifcopis per unionem vicinarum & minorum Eccleſiarum, aut ſimplicium beneficiorum, vel per conſeſſionem deſerviturarum, & aliàs propter ido-

neorum Sacerdotum raritatem per modum provisionis providere.

Hic permittit unionem Beneficii Curati alteri Curato non dubium; idque interdum fieri poſſe ob earum paupertatem ſat innuit Synodus Tridentina ſeſſ. 21. cap. 5. De Reformat.

XV. Illud niſiſominus notandum, eam unionem à Synodo Mechlinienſi dumtaxat per modum provisionis permitti: cum ſcilicet alio modo Parochialibus Beneficiis provideri nequit. Quare multum à Synodorum mente recedunt Epifcopi, dum ipſas Eccleſias Parochiales uniant; aut uniplurium deſervituram concedunt non ſine notabili Incolarum incommodo, ut ſeſe à danda congrua portione eximant, ſuæque Menſæ majorem partem decimarum applicent.

XVI. Non tantum beneficiorum qualitas diſcutienda eſt, priuſquam ad unionem procedatur; ſed & ſitus.

Quin Eccleſiæ Parochiales eo faciliſ uniri queant ob eorum paupertatem, quo ſibi vicinioreſ ſunt, evidens eſt: eò quod ob majorem inter ſe contiguitatem, unus queat utrique minore cum incommodo & difficultate deſervire.

XVII. Similiter unio Canonicatus cum Dignitate, aut Parochiali beneficio in eadem Eccleſia ex eadem ratione faciliſ admitti poſſet, quàm huiuſmodi beneficiorum in diverſis Eccleſiis exiſtentium: & paſſim videmus Canonicatus in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis unitos Dignitatibus & Beneficiis Parochialibus.

XVIII. Ulterius ut Eccleſiaſticus ordo non confundatur, aut una & eadem Eccleſia duarum quodammodo Diœceſium fiat, non ſine gravi eorum incommodo qui illi ſubditi fuerint, ſtatuit Synodus Trid. "Beneficia unius Diœceſis etiam ratione augendi cultum Divinum, aut numerum Beneficiorum, aut alia quacumque de cauſa, alterius Diœceſis Beneficio, Monaſterio, ſeu Collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur ſeſſ. 14. c. 9.

XIX. Et quia & non exigua eſſent timenda incommoda ſi duobus ſupremis Principibus eadem Eccleſia eſſet ſubjecta, haud quaquam Beneficium unius Regni beneficio alterius Regni uniendum eſt.

"Si Legatus vellet unire beneficium in Regno ſitum, Abbatia vel Epifcopatuſ exiſtenti in alio Regno vel Principatu, facere non poſſet ſine Regis conſenſu, ait Rebuffius in Praxi titulo De Unionibus num. 28. "qui & addit: "Et vidi appellari tamquam ab abuſu in illis unionibus ſic factis, etiam poſt longiſſimum tempus centum annorum, à Procuratore Regio, qui iſta regni commoda proſequitur; & quia hæc uniones ſemper & quotidie gravant, ideo ſemper appellatur.

Vide latius Fevretum De Abusu lib. 2. cap. 4. numer. 28. ubi ex Azevedo notat quod etiam in Hiſpania, unio facta Eccleſiæ de Regno alteri Eccleſiæ extra Regnum, ſit nulla.

XX. Vetat quoque Synodus Tridentina ſeſſ. 25. cap. 9. De Reformat. fieri acceſſiones per viam unionem de Beneficiis liberis ad Eccleſias juri patronatus, etiam laicorum, ſubjectas; ita ut prædicta beneficia libera ejuſdem naturæ cum iis, quibuſcumque uniantur, efficiantur, atque ſub jure Patronatus conſtituantur.

XXI. Circa hoc Decretum conſulti poſſet Zypæus Conſult. 5. De Exceſſibus Prælatorum, ubi inter alia notat, quod "ſi de neceſſaria dotatione Eccleſiæ Parochialis agatur; neque hæc haberi queat, niſi conjungendo beneficium liberum cum beneficio juri patronatus ſubjecto; ponderandum ſit, an libertas illa beneficii, an Animarum cura, quæ ſine congrua dote ſuſtineri, & illa aliunde haberi non poſſet, præcellere debeat; Et ſine dubio (ait) locus eſt legi, ſalutis populi ſuprema lex eſt, quod eo ſpectat, prævalet minoribus cauſis. Unde multis in locis Paſtoratibus juris patronatus præſerim Eccleſiaſtici, non competentem dotalis, beneficia

„ficia libera, dum alia non suppetunt, ad dotem congruam sunt unita.

XXII. Vult ulterius Synodus Tridentina in citato Decreto *sess. 7. cap. 6.* non tantum, ut posthac nullæ admittantur uniones perpetuæ, nisi *ex legitimis, aut aliis rationabilibus causis*; sed insuper, ut „à 40. annis citra factæ examini ab Ordinariis tamquam à Sede Apostolica „Delegatis possint; & quæ per subreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur.

XXIII. Quin & unionem sine legitima causa factam, etiam post integri sæculi lapsum, aliquando auctoritate Regii Senatus rescissam fuisse, monet Renatus Choppinus *De Sacra Polit. lib. 2. tit. 6. numer. 8.* „Istic enim (ait) minus necessitatis rationes primitus impulerant Ecclesiasticos Præfectos, ut sacra illa beneficia simul colligarent. Ideoque in his, aliisve publicam Ecclesiæ disciplinam spectantibus, non tollitur provocandi ex abusu facultas *quancumque* temporis silentio. „Idipsum dicit Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. Desinit. 49.* addens rationem: *Quia unio semper & perpetuò gravat.*

CAPUT III.

De Solemnitatibus servandis in Unione.

1. In unione vocandi omnes quorum interest, juxta Regulam Cancellaria.
2. Hæc regula ubique recepta.
3. Interdum derogatur in Curia Romana huic Regule; sed derogatio hæc in Gallia non admittitur.
4. Decretum Synodi Tridentine in quantum huic derogationi favet non est in Gallia receptum.
5. Præxi Belgii in hoc puncto consonat Præxi Gallicana.
6. Unio etiam auctoritate Pontificia hodie expendenda in forma commissoria.
7. Commissio faciendæ judicibus in partibus.
8. Audiendus Episcopus, & alii quoque Collatores.
9. Patroni laici non tantum audiendi; sed & eorum consensus habendus.
10. Idipsum in Belgio specialiter à Parliamentis Regii notatum.
11. Procurator Regius in unione beneficiorum audiendus; & quare?
12. In Gallia Rex unionem non attendit, si non intervenit Procurator Regius.
13. An in Belgio semper audiendus Procurator Regius?
14. An Rector Ecclesiæ necessario audiendus?
15. Utrum Parochiani sint audiendi?
16. Licet hi audiendi essent, non tamen exigitur eorum consensus.
17. Regula Cancellaria jubet exprimi in unionibus verum valorem beneficiorum.
18. Regula quoad hoc recepta in Gallia, & Belgio.
19. Debet exprimi verus valor utriusque beneficii; nec derogatio regula circa hoc punctum in Gallia recipitur.
20. Reservatio non impedit, quo minus Episcopus procedat ad unionem.
21. Unionis executio non impeditur per resignationem.
22. Neque provisio Pontificia cum suspensione unionis hic facile admitteretur.
23. Nisi provisio vacantis beneficii unionem præveniat.
24. Mandata de providendo vel expectativa unionem non impediunt.

NE ipsas uniones sine legitimis aut aliis rationabilibus causis fieri contingat, jam pridem cautum fuit per Regulam Cancellariae *De Unionibus, ut semper in unionibus concessio fiat ad partes, vocatis quorum interest*: quod & voluit Synodus Tridentina *sess. 7. cap. 6. De Reformat.* ut ex verbis Decreti capite præcedenti relatis videri potest.

II. Hæc regula velut aptissima ad detegendas fraudes, subreptiones & obreptiones quæ in unionibus contingere solent, ubique recepta est; adeo ut licet ipsa Regula tantum videatur loqui de unionibus quæ fiunt ad petitionem partis, non autem quæ fiunt à Pontifice *motu proprio*, uti notat Rebuffus ad hanc regulam *Glossa 1.* in Francia tamen *quomodocumque* fiant, requiruntur solemnia quæ in Regula præscribuntur, ait idem Rebuffus.

III. Notat quoque ipse Rebuffus ibidem *Glossa 10.* quod si unio fiat per Papam in forma *gratiosa* non requiratur clausula, *vocatis vocandis*; sed derogatur huic regulæ de unionibus committendis *ad partes*, & ipse Papa facit unionem: *Sed* (ait) *hoc non recipitur in Francia.* Et in Præxi Benef. titulo *De Unionibus num. 47.* ait: „Appellatur tamquam *ab abusu* in hoc Regno ab unionibus factis sine *causa cognitione* à quocumque factæ fuerunt; & nullæ solent pronuntari, & irritæ per Curias supremas: nec habetur ratio temporis, quia abusus non potest præscribi; & ita est praxis regni.

IV. Idipsum post Renatum Choppinum *De Sacra Polit. lib. 2. tit. 6.* testatur Petrus Pithæus in Commentario super *Libertatibus Ecclesiæ Gallicanae cap. 49.* ubi una monet, in Gallia receptum non esse Decretum Concilii Tridentini *sess. 7. cap. 6. De Reformat.* in quantum videtur admittere uniones in forma *gratiosa*, si Pontifici visum fuerit, eas concedere: additur enim in Decreto hæc cautio: *Nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit.*

V. Præxi Belgica in hoc puncto non dissonat à Præxi Gallicana. Nec enim uniones Beneficiorum in forma *gratiosa* sine causæ cognitione admittuntur; & taliter factæ non minus hic, quam in Gallia rescinderentur.

VI. Itaque unio etiam auctoritate Pontificia hodie fieri debet in forma *commissoria*; soletque Papa committere in partibus, ut inquisitio fiat de causâ, & de commodo vel incommodo; & postea istæ inquisitiones ad eum mittuntur, ait Rebuffus *Glossa 11. num. 7.*

VII. Cum hæc commissio sive delegatio involvat cognitionem causæ, quæ formam aliquam judicalem sapit, debet hæc dirigi ad eas personas Ecclesiasticas, quæ ut iudices à Sede Apostolica in partibus delegari possunt; uti post Renatum Choppinum monet Fevretius *De Abusu lib. 2. cap. 4. num. 24.*

VIII. Juxta formam commissionis debent audiri omnes quorum interest.

Itaque audiendus est Episcopus, quia sua interest: hæc inter alias ratione quod collationem amittet ratione unionis uti monet Rebuffus ad regulam *De Unionibus Glossa 11.* quæ & in Collatoribus aliis militat.

IX. Patroni quoque audiendi: imò si Patroni laici fuerint, non solum audiendi sunt, sed eorum consensus requiritur; quod & notat Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. Diss. 48.* dicitque: „est Papa derogare etiam potest cum „vult juripatronatus laicorum pro ea vice; fallit tamen hoc „in unionibus, quia perpetuò durat.

X. Hic in Belgio quoque requiritur consensum Patronorum laicorum dubium non est: monueruntque expressè Concilia Belgica ad *sess. 21. cap. 5.* Synodi Tridentinae, quo potestas fit Episcopis, ex juxta causâ uniones faciendi Ecclesiarum & Beneficiorum, *opus esse consensu Patronorum laicorum.* Apud Antonium Anselmo in Triboniano Belgico *cap. 33. §. 2.*

XI. Unde beneficia Patronatus Regii uniri non posse citra consensum Regium expeditum est; quin & asserit Antonius

tonius Faber citata *Definitione 48.* „Procuratorem Primicipis generalem vocari & audiri necesse esse; non solum „si juripatronatus ad Principem pertineat. „sed etiam si ad „despiciendum, an publico utilis futura sit unio, an inutilis. Item pro tuenda Principis auctoritate, ad quam sanè „pertinet, ut beneficiorum omnium, quæ in territorio sunt, „protector & conservator existimetur.

Ex quibus dein concludit: „Itaque si non vocato procuratore generali unio facta sit, potest & solet ille ab ea tamquam ab abusu provocare, semperque ea provocatio admittatur, etiam post centum annos, quia unio semper & perpetuò gravat.

XII. In Gallia Procuratorem Regium vocari & audiri debere, dum agitur de unione beneficiorum ad quæ Regalia se extendit, notat Fevretius citato *cap. 4. n. 26.* aliàs aperta Regalia Rex conferet, quasi nulla unio intervenisset; & ita anno 1624. judicatum fuisse referunt in opere intitolato. *Journal des Audiences tome 1. lib. 2. cap. 26.*

XIII. In Belgio si agatur de unione facta auctoritate Apostolica, certum est, eam executioni mandari non posse, nisi prius audiat Procurator Regius: quandoquidem requiritur *Placetum Regium*: quod dari non consuevit, nisi præviè Regio Procuratore, seu Officio Fiscali audito, ut dictum est supra *tit. 24. cap. 6.* Si autem auctoritate ordinaria unio fiat, & agatur de majoribus beneficiis, hæc extra discrimen cassationis non erit, si ipse Procurator Regius interpellatus & auditus non fuerit. Non tamen videtur necessarium ad validitatem unionis, ut fiscalis audiat.

Ad simplicium beneficiorum uniones, præsertim pro dotatione tentium Parochiarum, passim ab Episcopis sine interventu Officii Fiscalis fieri, & tolerari solent.

XIV. Rectorem Beneficii uniendo non esse vocandum innuit *Clementina 2. De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, ubi dicitur, unionem Ecclesiæ factam ab Episcopo consentiente Capitulo impugnari non posse, *ex eo quod Rector ipse ad hoc vocatus non extitit*: idque notavit Rebuffus ad Regulam *De Unionibus Glossa 11. num. 8.* rationem addens: quia ei ad suam vitam non præjudicatur. Unio enim fieri solet sine præjudicio Possessoris. „Nec consideratur (ait Rebuffus quod Rector potuisset illud Beneficium resignare in favorem nepotis, quia „hoc non est considerabile: cum beneficia consanguineis non deferantur consanguinitatis jure; & illa resignatio pendeat à Superioris facultate, qui per unionem jam declaravit, nolle illum Rectorem resignare posse.

Hæc Rebuffus sequutus Joannem Galli qui *quæst. 267.* asserit, Rectores Beneficiorum non esse audiendos. Verum ex Molinæo in notis ad dictam questionem Joannis Galli refert Fevretius loco citato, *contrarium servari in Gallia & bene, quia debent vocari Rectores maxime in uniendo Ecclesiis Parochialibus.*

Et sanè licet unio fiat sine præjudicio Rectoris, nihilominus, cum ipse sit quasi tutor Ecclesiæ quam possidet, ipsique solet melius esse perspectus status & conditio ipsius Ecclesiæ, merito, cum de causis unionis inquiritur, ipse audiendus erit; quod & hodie receptum est, atque uniones Ecclesiarum rescissas fuisse, ob non auditum Rectorem testatur Fevretius.

XV. Dicit quoque idipsum servandum circa Parochianos, monetque, adherendum esse Parliamentorum arrestis, quæ receperunt Parochianos appellantes tamquam ab abusu ab unionibus in quibus ipsi auditi non fuerant; easque tamquam abusus infirmarunt. Vide etiam *Journal Des Audiences tome 2. lib. 3. cap. 21.* & aliquando desicim in Rota, Parochianos esse audiendos; quia ipsorum interest habere bonum Pastorem, testatur Garcias *De Benef. parte 1. cap. 2. num. 220.*

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

XVI. Hoc tamen notandum, quod tametsi Rector & Parochiani alique sint audiendi, non propterea eorum consensus requiratur; uti etiam monet Zypæus in *Jure novo De Excessibus Prælat. n. 1.*

XVII. Præter informationem super causis unionis faciendam in partibus, requirit insuper Regula Cancellariae *De Unionibus*, „quod petentes beneficia Ecclesiastica alias „uniri, teneantur exprimere *verum valorem* secundum „communem estimationem, tam beneficii uniti, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat.

XVIII. Regula etiam quoad hanc partem ubique recepta est. Et quamvis consuetudinarius valor 24. ducatorum solet exprimi in Francia in omnibus beneficiis, tamen in unionibus *verus* valor est exprimendus, ut hic ait Rebuffus *Glossa 7.* quod & in Belgio servatur.

XIX. Debet autem exprimi *verus* valor tam beneficii uniendo, quam ejus ad quod unio fieri debet. Quia ex hac expressione innotescere sapienter potest, num utilitas aut necessitas eam unionem requirat; utpotè quæ ex Ecclesiarum majore vel minore penuria non raro metienda est.

Imò monet Rebuffus ibidem *Glossa 8.* quod si in Signatura unionis fuerit conscripta clausula, quod *obstantia Oratoris habeantur pro expressis*, tunc quidem Bulla poterit expediti sine expressione fructuum; *sed in Francia* (ait) *vix recipiuntur ratione consuetudinis contraria.*

XX. Si omnibus ritè examinatis, singulisque quorum interest auditis, unio Ecclesiarum utilis aut necessaria appareat, poterit Episcopus ad eam procedere, etiam si dictæ Ecclesiæ vel Beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta; ut loquitur Synodus Tridentina *sess. 21. cap. 5. De Reformat.* & aliis verbis repetitur *sess. 23. cap. 18. & sess. 24. cap. 15. De Reformat.* Quare distinctio inter reservationem specialem, & generalem, quam facit Rebuffus *De Unionibus num. 31.* hodie non obtinet, cum expressè Synodus permittat unionem non obstante reservatione specialis, ut monet Zypæus *Consul. 6. De excessibus Prælat.*

XXI. Denique pro majori unionum firmitate addit Synodus Tridentina: „Quæ uniones etiam non possint revocari, nec quoque modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa *resignationis*, aut derogationis, aut suspensionis.

XXII. Hic & de resignatione facta coram Pontifice Synodum loqui, dubium non est: unde licet Zypæus admittat citata Consultatione *num. 18.* „si visum erit Sedi Apostolicæ non obstante hujusmodi unione resignationem ex certa scientia admittere, & alteri secundum plenitudinem potestatis providere, possit derogare Concilio, „mox tamen subjungit: „Quamquam alias difficulter provisio subreptionis vitio carebit & difficultate executionis in his locis: ubi Regia auctoritate Concilium receptum, & servari justum est, constanter & sine hujusmodi immutationibus.

XXIII. Rectè tamen ibidem monet Zypæus „non ante impediti cursum provisionum Romanarum, „quam Episcopi ad uniones & suppressiones hujusmodi se accinxerint: ut si ille prævenierint omnium horum actionem, & jam alieni jus sit questum collatione *vacantis* beneficii, & expeditione Bullarum facta, auferri illud non possit.

XXIV. Et hoc quidem si ipsa collatio seu provisio vacantis beneficii ipsam Ordinarii actionem prævenierit: Nam, ut eodem loco notat Zypæus, „mandatis de providendo, nominationibus Universitatum, similibusque reservationibus & affectionibus omnibus satis dicendum est derogatum esse, dummodo etiam acceptatio seu provisio post vacationem factam similiter non prævenierit omnem Episcoporum actionem.